

In reuolu-
tionibus
natiuitatū
confidera.

Generalem gubernatorem ætatis.
 Progreſſiones generales, id eſt directiones.
 Progreſſiones ſeu profectiones annuas, menſurnas & diurnas.
 Dominum anni, qui eſt dominus ſigni progreſſionis annuæ.
 Gradus diuiſionis & diuiſores,
 Alfridarias.
 Dominum orbis.
 Aphoriſmos generales, Item particulares de domibus cœli.
 Chronocratores.
 Transitus planetarum, ſiue reditus planetarum.
 Translationes planetarum ex domibus radicis ad domos reuolutionis
 Effectus eclipſium, ſi in tempus reuolutionis cadunt.



ED principales ſignificatores (præter generales progreſſiones) ſunt dominus anni, gradus diuiſionis aſcendentis radicis, & Diuiſor eius. Illis quoq; adiunge Lunam & Aſcendens reuolutionis. Ex his trahe iudicium generale reuolutionis, nam ſi omnes iſti ſignificatores principales, uel maior pars eorum bene ſe habuerint, indicabunt natum in tali reuolutione magis declinare ad bonum, quàm ad malum, uel econtra, ſi male ſe habuerint.

Aphoriſmi generales in reuolutiones natiuitatum.

Annus reuolutionis, id eſt, Aſcendens reuolutionis, ſimilis radici, ſignificat bonum eſſe nati illo anno.

Figura natalis ſi mala fuerit, ſcias talem reuolutionem non multum nato prodeſſe.

Quando dominus aſcendentis reuolutionis fuerit remotus ab angulis, minus nocebit nato, ſed potius ſignificabit metum uel imbecillitatem quàm damna.

Dominus aſcendentis reuolutionis à Sole combuſtus, grauiora nato detrimenta ſignificat, & hoc ſecundum planetæ naturam, qui anni dominus fuerit, habita etiã Solis natura. At ſi in eo ſtatu fuerit autoritas Lunæ, uel in ſua domo, aut in aliqua ſuarum dignitatum, minuetur id malum. Si autem in huius contrario fuerit, profer iudicium in malo.

Omnis natiuitas quæ fuerit ſub eodem ſigno cum aſcendente anni mündi, ſi in eo fuerit anni dominus reuolutionis, generaliter erit ad bonum, niſi tale ſignum & eius dominus in radice fuerint impediti.

Quando aſcendens reuolutionis peruenerit ad malos radios, uel ad loca infortunantium, & naturaliter ſibi inimica, ſiue radicis, ſiue reuolutionis, magnum eo anno portendit periculum, idq; erit quando anni dominus ad eundem planetam uenerit, qui eum infortunauerit, poſſet fortalte euadere ab hoc periculo ſi tranſiuerit per lumen alicuius luminaris, uel alicuius alterius ſtellæ fœlicis. Sed nihilominus erit in illius periculi metu non paruo.

Si in anni reuolutione infortunæ fuerint in prima domo, uel in ſignis eam aſpicientibus, nato malum decernit, ſecundum naturam ſigni, & planetæ infortunantis, & domus in qua fuerit.

Fortunantes ſtellæ, ſi fuerint in prima reuolutionis domo, uel illam uiderint, indicant eo anno proſperitatem nato futuram, ſecundum naturam ſigni & domus, ut ſupra.

Kk ij lupis